



# Disputatio juridica inauguralis de usuris

<https://hdl.handle.net/1874/347249>

DISPUTATIO JURIDICA  
IN AVGVSTALIS  
DE  
U S U R I S.

36.

Q V A M,  
FAVENTE DEO TER OPT. MAX.  
*Ex Auctoritate Magnifici D. Rectoris,*

D. HERMANNI van HALEN,

S.S. Theologiae Doctoris, ejusdemque Facultatis in Inclytâ Academiâ  
Ultrajectinâ Professoris Ordinarii, Verbique Divini ibidem in  
Ecclesiâ Praeconis,

N E C N O N

*Amplissimi Senatus Academicus consensu, Nobilissimaque  
Facultatis FURIDICÆ Decreto,*

PROGRADU DOCTORATUS  
Summisque in UTROQUE JURE honoribus & Privilegiis  
rite & legitime consequendis,

*Eruditorum examini subjicit  
JOHAN van NELLESTEYN. ULTRAJECT.  
A. D. 26. Auguſti, hora locoque ſolitis.*



TRAJECTI ad RHENUM,

Ex Officina FRANCISCI HALMA, Academiæ  
Typographi, clc lcc LXXXIX.

*Admodum Reverendo  
V I R O,*  
**D. GUALTERO**  
van NELLESTEYN,  
Ecclesiæ Ultrajectinæ pa-  
stori, parenti meo indul-  
gentissimo.

*Hanc Disputationem Inau-  
guralem*

Sacram volo

JOHAN van NELLESTEYN,

A U C T O R.

DISPUTATIO JURIDICA

INAUGURALIS,

D E

U S U R I S.

T H E S I S I.



Empublicam & civitatem illam, quæ ita moratos habet cives, ut alter alterius ultro succurrat necessitatibus sine ullo commodo suo, inter res sacras computare, quis detrectaverit? Psalmista (a) David bonum prædicat virum, qui miseretur alterius, eique pecuniam dat mutuam. Illum autem affectum erga proximos, & perfectiō nem illam in rebus publicis vulgaribus vix, imo vix, est ut reperias. Plerique divitiis, quarum (ut inquit (b) Salustius) gloria fluxa & fragilis est, post ponunt omnia, justa ab injūstis minime secernunt, terras & maria perscrutantur; & pecunias non ad usum, qui finis est divitarum, colligunt; sed ipso colligendi studio delectantur in infinitum, ut, quo plus habent, plus cupiant: nam, ut habet vulgatum, crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit. Quod Solon dixit hoc versu, ut est apud Aristotelem:

Πλεύτε δι' οὐδὲν τέρμα πεφασμάτων αὐτοὶ εγίνοι νεῖς.

Nullus opum finis fixus mortalibus heret.

Quare necessitas ipsa quasi extorsit hoc, ut in rebus publicis permitteretur aliquid lucelli accipere pro pecunia mutuo data. Quod ipsum intuitus est Leo cognomento Philosophus, qui novellam de prohibenda usura paternam abrogare coactus fuit.

A 2

Ejus

(a) ps. cxii.  
ver. v.

(b) de bell.  
Catal.

## 4 DISPUTATIO JURIDICA

(c) Nov.  
v. XXXIV.

Eius (c) constitutio extat hodieque inter novellas sub ejus nomine editas. In ea fatetur plus mali dedisse quam profuisse illum patris legem, qua usuras fustulerat: propterea quod *humana natura* (ut ait) *ad illius sublimitatem non perveniat*. Sed quoniam gravis, & quæ erudita magnorum virorum acuit ingenia, oritur controversia, quo jure conveniens sit exigere usuras, ne de iniquis videatur hæc disputatio, eam prælibare operæ pretium erit.

## II.

(a) Deut.  
cap. 23.  
v. 20.

Quoniam jure divino nihil sanctius, nihil æquius reperiiri potest, ab eo jure auspicari decorum erit. Ipse summus rerum arbiter per Mosem prophetam Judæis populo peculiari suo ita (a) cavet: *fratri tuo non fœneraberis, sed fœneraberis exteris*. Per se mala & damnanda usura non prohiberetur accipi magis à peregrino quam a cive: quæ enim simpliciter mala sunt, simpliciter in lege Dei prohibentur; at usura non simpliciter nec absolute Hebræis interdicitur, sed ea quæ à fratribus, id est, à Judæis exigitur, non etiam illa quæ ab extra-neo. Populus ille Judæorum ad unum auctorem originem referebat; erant omnes consanguinei & prope fratres. Ea re Deus voluisse videtur, ut Hebræus Hebræo non aliter mutuo daret nisi gratis; ut illa societas non solum custodiretur, sed arctiori etiam vinculo constringeretur. *Dent. cap. 23. v. 19. ps. 15. v. 5. Jerem. cap. xv. v. 10.* in pauperum porro gratiam hæc lex de usuris Hebræo ab Hebræo non accipiendis videtur potissimum lata. *Exod. cap. 22. v. 25. Levit. cap. 25. v. 35. 36.* Non levem adhibet scrupulum dictum salvatoris: *mutuum date, nihil inde sperantes. Lnc. cap. 6. v. 35.* Sed alibi idem Christus in parabola *Luc. cap. 19. v. 16. 17. 18.* sub domini persona servum eum laudat, qui domini pecuniam fœnore exercuerat, & ex quinque talentis decem conficerat, sorte duplicita. Unde innotescit Dominum usuras tanquam genus lucri illicitum non damasse, sed ad abnegationem sui, & mundi fugam & odium, suis sectatoribus divitiarum contemptum man-dasse

dasse uti &c. *Luc. cap. 6. v. 29. 30. Mat. cap. 19. v. 21.* & in aliis. Plerique tamen Theologorum usuram in foro conscientiae rem illicitam damnant. Chrysostomus, (b) *nihil usuris turpius*, *nihil crudelius*, dicit. De eo autem quod usuris ac cedit id accipendum alii testantur. (b) Homel. 6. in Math.

## III.

Quid autem gentes de usuris statuerunt? *Agis Atheniensum* dux adeo fœnus exosum habuisse (a) fertur, ut omnium fœnectorum tabulas igne supposito in foro concremaverit. *Lycurgus* è tota Sparta fœnus & usuras exterminasse dicitur, ipsoisque Ægyptios fœnus quoque veluti morbum contagiosum inhibuisse ajunt. Sed (ut alios fileam) Ægyptii non exterminarunt usuras, sed lege lata, ut ita demum mutuam pecuniam accipere liceret, si cadaver patris fœnectori daretur pignori, penes quem esset potestas paterni sepulcri debitoris oppignorati, inhibuerunt. Fœnus quoque ex pactione & per syngrapham Græci contrahebant. Antiqui (b) Persæ non tam τὸ δανείζειν improbant quam τὸ δανειζόντες, & turpius ducebant fœnore accipere, quam dare. Imo quibus gentibus usuræ permisæ non sunt, ex privato & mutuo consensu has tamen recipiunt: exemplo sint ipsi Turcæ, qui lege Muhammedis ab iis abstinere jubentur. Et certe ipsa hoc indigentia humana & ratio commerciorum suasit; quidquid contra sentiant Cicero, Plutarchus, (c) & Cato: qui *furem duplo, fœnectorem quadruplo majores condemnasse*, scribit. Juris auctem Romani sacerdotes in hac re non ita supersticiosos fuisse ex sequentibus constabit. Sit ergo hic tractandi initium.

(a) Alexan.  
Gen. Dier.  
1. 1. c. 7.

(b) Salm.  
de usur.  
cap. 7.

(a) de ling.  
lat. I. 5.  
c. 25.  
(b) Amph.  
(c) in trin.  
Act. I. Sc. 2.

## IV.

Ab utendo *usuram* dictam (a) Varro scribit, &, si ad veri loquium revocetur, nihil aliud esse quam usum. Unde Plauto (b) *uxor usuraria*, cuius usuram, id est, usum corporis ad tempus aliquis cepit. (c) Idem quoque, *nec adeo hancē*

## 6 DISPUTATIO JURIDICA

hacce emi mibi . nec usura mea , id est , ad usum meum . In hac significatione usura , nullum videtur esse mutuum sine usura : quippe in eo usus pecuniae semper permittitur . Usura autem quam is , qui mutuum accepit , pro usu pecuniae solvere debet , longe aliam habet notionem . Ita usura est merces , quae pro usu pecuniae datur , quae ne cum usura , qua usus significatur , confunderetur , usuram pro usu in numero singularitatis veteres auctores potius usurpare videntur ; usuras vero quae pro usu pecuniae alicui debentur . Inde

(d) in ver-  
ren , 5.  
Action.

(d) Cicero : quis enim hoc fecit unquam , ut cum senatus publicanos usura sape juvisset , magistratus à publicanis pecuniam pro usuris audeat auferre . Ita usura est χρήσις , usuræ τέλος . Quare Jurisconsulti titulos de usuris potius inscripserunt , non de usura . Promiscue tamen has voces usurpari nemini ignotum est . Quam ob rem definitionem ipsam lusremus .

V.

Usura est merces , quam debitor creditori præstat pro usu sortis debite . Ita quoque vectura quibusdam est merces , quæ pro vectione datur naviculario , quod Græci ναῦλον appellant . Alii additamentum ex l. 23. C. de usuris . Emolumenum alii ex l. 17. ff. eod . Alii denique accessionem definunt ex l. 12. C. eod . & sane quid aliud est usura , quam crescentis in dies singulos pecunie accessio , ut est in (a) Cod. Theod . non proprie pro ipsa sorte , sed pro usu sortis , pecuniam exigunt creditores . Quidam usum sortis pro nihilo habent ; sed perperam : nam qui pecuniam ab alio mutuam desiderat , ad necessarios usus illam sibi expetit . Aut enim inde ædes comparat , quas ipse inhabitet , ne in conducto diutius maneat , vel quas alio cum fructu & compendio locet , vel in usus suos convertit . Quod ergo accipienti non solum utile , sed & lucrosum est , id sterile & vanum danti esse non convenit . Sors est capitalis summa pecunia creditæ ; quæ (b) Paulo capitinis summa est ; quasi principalis & capitalis summa , ad distinctionem accessionum , quæ usuræ sunt . Sive ea consistat in pecunia . l. 17. in pr. l. 18. l.

(a) l. 18. de  
lustrall  
collat.

(b) in coll.  
fent.

18. l. 33. ff. hoc. l. 1. 2. & passim ff. de naut. fœnore. sive in fructibus l. 26. §. 1. C. hoc.

## V I.

Triplinem DD. usuræ faciunt speciem: aliam nempe *compensatoriam*, quæ in compensationem datur ejus, quod creditoris interest pecunia sua non caruisse. l. 4. C. *depositi*. Aliam *punitoriam*, quæ infligitur non propter lucrum potentium, sed propter moram solventium l. 17. §. 3. 4. l. 32. §. 2. ff. hoc. vel non agentium id quod convenit. d. l. 17. §. ult. ff. hoc. Aliam denique *Lucratoriam*, quæ præstatur propter officium mutui ex solo lucro creditoris. Hanc speciem (a) *Salmasius* (a) de usur. non agnoscit, nullasque usuras proprie lucrativas dicit, sed cap. 7. omnes mercedis instar habere definit. Ut rite quidem nostra procedat disputatio (1.) causam præstandarum usurarum (2.) quantitatem (3.) interitum denique earum excutiamus.

## V II.

Causæ usurarum stipulatio, pactum, & mora vulgo stantur. Quæ omnes tamen non habent locum in omnibus judiciis: Regula enim est, *in stricti juris judiciis non nisi ex stipulatione debentur*. l. 10. §. 4. ff. *mandati*. l. 24. ff. de præverb. l. 1. 3. C. hoc. *Hoc enim* (inquit (a) Paulus) *obligationum* (a) lib. 5. *firmandarum gratia introductæ sunt, quæ quadam verborum so-* fienter. *lemitate concipiuntur. Et appellata quod per eas firmitas obliga-* tionum *constringitur; omnibusque pactis illa fere subjicieba-* tur, ut idem (b) Paulus scribit. In bonæ fidei enim judi- (b) lib. 2. ciis libera judici est potestas estimandi quid, quemque, cui- sentent. que præstare oportet; sed in stricti juris judiciis judex non tit. 22. plus poterat, quam formula exprimebat. Quare (c) Seneca: (c) lib. 3. *meliор videtur conditio cause bona, si ad judicem, quam si ad arbitrum mittatur: quia illum formula includit, & certos,* quo non excedat terminos ponit: *hujus libera & nullis constrictis*

## 8 DISPUTATIO JURIDICA

et a vinculis religio est. Et vide sis. §. 30. *J. de Aet.* l. 2. §. 3. ff.  
*de O. & A.* l. 3. *C. de reb. Cred.* l. 99. ff. *de verb. obl.* & l. 31. §.  
20. ff. *de adilit. edict.* Quæ res in causa esse videtur quare con-  
trahentes in stricti juris judiciis citra vinculum stipulationis  
usurarum nomine nihil agant.

## VIII.

Apud Romanos tamen semper necessaria non fuit stipula-  
tio ad usuras exigendas ; nec proprius ubique hic dicatus usu-  
ris contractus. Ex : *pacto* enim debentur in bonæ fidei judi-  
ciis ; quatenus tamen illud in continentि contracti adjectum  
l. 7. §. 5. ff. *de pactis.* Sic in deposito præstandas usuras , de  
quibus convenit responsum in l. 24. ff. *de positi.* In emptione  
venditione in l. 5. *C. de paet. int. empt. & vend.* in locatione  
& conductione in l. 17. §. 4. ff. *hoc.* Interdum tamen in stri-  
cti juris judiciis ex pacto usuræ exigeabantur. In tritico , hor-  
deo aliisque frugibus ex pacto usuræ exigi solitæ. l. 12. *C. hoc.*  
Ex nudo pacto debebantur civitatibus usuræ creditarum ab  
iis pecuniarum. l. 30. ff. *hoc.* in trajectitia pecunia non solebant  
stipulari usuras creditores , sed ex sola pactione eas percipie-  
bant. l. 5. §. 1. l. 7. ff. *de fœnur. naut.* qui pecuniam mutuam  
accipiebant ab argentariis , ex nudo pacto usuras solvebant ,  
& si in stipulationem deductæ non essent nov. 136. *C. 5.* in  
actione rei judicatae ex mora usuras præstari tradunt ex l. 2.  
*C. de usur. rei jud.*

## IX.

Si moram quoque solutioni sortis faceret debitor , tametsi  
nullum de usuris præstandis pactum intervenisset , usuras præ-  
stabat in bonæ fidei judiciis. l. 32. §. 2. ff. *hoc.* ut in emptione  
venditione l. ult. ff. *de per. & comm. rei vend.* in deposito l. 2.  
*C. deposit.* & in cæteris bonæ fidei judiciis. Moram dupli-  
cem DD. tradunt : aliam ex re ponunt , aliam ex persona.  
Quando debitor legitime interpellatus non solvit *mora ex per-*  
*sone*

sona est. Legitimam vero esse interpellationem oportet; fieri eam debere per ipsum adversarium, aut cui id mandatum est *lex 24. §. 2. ff. hoc.* requirit. ipsi debitori *l. 32. §. 1. ff. hoc.* oportuno tempore & loco, *d. l. 32. impr.* & quidem testato, *l. 122. §. 3. ff. de verb. obl.* Moram ex re lex introducit, ponendo aliquem in mora, citra factum hominis *l. 8. §. in ff. de cond. furt. l. 19. infin. ff. de vi & arm.* ut si dies solutioni sit adactus, *l. 12. C. de contr. & comm. stip.* dies enim interpellat pro homine. Secus in conditionali stipulatione, in qua tantum spes est debitum iri, *§. 4. f. de verb. obl.* cum dies certo certius sit existira. Lite contestata usuræ quoque currunt, *l. 35. ff. hoc.* Scire enim debet reus per hanc lese interpellari. Hinc alia nata divisio interpellationis judicialis vide licet, & extra judicialis.

Quoniam sine permissione usurarum nihil posse commode inter homines agi viderunt legislatores, ad certam quantitatem legibus præscriptam usuras statuerunt. Etenim ut modus in omnibus rebus optimus est, ita ad usuras, ne noxiæ sint, moderandas imprimis habetur necessarius. Primo *C*ut inquit (a) Tacitus) *duodecim tabulis fanticum, ne quis amplius unciario fœnore exerceret, cum antea ex libidine locumpletum agitaretur; dein rogatione Tribunitia ad semuncias redacta.* Postea circa usuras fluctuantum: ut ecce sub principibus constat usuras fuisse centesimas, nempe gravissimas. *Centesimam usuram dictam ita, quia mense centesimo sorti exaequetur, quidam existimant.* Alii quia pars centesima de centum menstruatim præstatur: in singulos enim menses Romani stipulabantur usuras; vel in triginta dies: ut (b) Briffonius scribit; vel in tertios denique annos. videlicet *l. 135. in pr. l. 142. l. 126. in pr. ff. de verb. obl.* Has (c) Seneca sanguinolentas vocat: *quid sunt iste tabula computationes, & venale tempus; & sanguinolenta usura?*

(a) lib. 6.  
annal.

(b) de for.  
mul. lib.

VI.  
(c) lib. 7. de  
benefic.

## 10 DISPUTATIO JURIDICA

## X I.

Species usurarum obiter notare pergamus. A centesimis usuris, quas alii quoque asses vocant; proximæ sunt in descendendo *Deunces*, quæ undecim singulis annis dant in centum, non duodecim ut asses, ac centesimæ. Harum mentione est apud (a) Persium. *Quod petis? ut numni quos hic quincunce modesto numereras, avidos pergent sudare Deunces.* Sequuntur usuræ *Dextanies*, aliis *Decunes*, quæ decem in centena conciliant. Has excipiunt *Dodrantes*, quæ & *No-nuncia dictæ*, quæ in centum novem dant. Post dodrantes usuras *Bessibus* locus est, quæ octo uncias in centum pariunt annuas. Proximæ bessibus sunt *Septunes usura*, quæ in centum septem uncias producunt. His vicinæ sunt *Semisses usura*, quæ medium modum obtinent inter maximas & minimas; ex his sex unciaæ quotannis redeunt, assis nempe dimidium.

## X I I.

A Semissibus ad *quincunces* descendendum, quæ unâ uncia illis sunt minores, continent enim quinque uncias. Post has occurunt *Trientes*, quæ tertiam partem assis comprehendunt, quæ triens quoque dicitur, dantque quaternas in centum. Harum mentione est apud (a) Ciceronem: *Famus ex Triente, idibus quintilibus factum erat Bessibus.* Ab his gradus est ad *Quadrantes*. hæ tres uncias quotannis dant. Nunc veniunt *Sextantes usura*, quæ duas uncias annuatim præbent. Tandem ad *unciarias* perventum, quas nonnulli cum centesimis confundunt, ab illis licet discrepantes longissime: hæ enim unicam annuam præbent. Harum specierum JCTi passim mentionent in l. 38. ff. de negot. gest. l. 5. ff. de oper. publ. l. 13. ff. hoc l. 17. ff. ead. l. 102. §. 3. ff. de solnt. l. 7. §. 10. ff. de administr. tut. l. 21. §. 4. ff. de ann. leg. l. 47. §. 4. ff. de adm. & per tut. & alibi.

XIII. Tan-

## INAUGURALIS. II

## XIII.

Tandem Imperator omnem incertitudinem circa usuras præstandas penitus remotam voluit: super usurarum enim quantitate generalem sanctionem facere necessarium esse duxit, veterem duram, & gravissarum earum molem ad mediocritatem deducens. Ideoque jubet illustribus quidem personis, sive eas precedentibus, minime licere ultra tertiam partem centesima usurarum nomine in quocunque contractu vili, vel maximo stipulari. Illos vero qui ergasteris presunt, vel aliquam licitam negotiationem gerunt, usque ad bejem centesimam [usurarnm nomine in quocunque contractu] suam stipulationem moderari: Huc usque Imperator in l. 26. §. 1. C. hoc & paulo post: si quis autem aliquid contra modum hujus fecerit constitutionis, nullam penitus de superfluo habeat actionem, sed eti acceperit, in formam hoc imputare compelletur. Comitemur Imperatorem in l. 27. C. eod. Jubemus etiam eos qui ante eandem sanctionem ampliores, quam statuta sunt, usuras stipulati sunt, ad modum eadem sanctione notatum ex tempore lationis ejus suas moderari actiones: scilicet illius temporis, quod ante eandem effluxit legem, pro tenore stipulationis usuras exacturos.

## XIV.

Non semper tamen hanc legem observari DD. observant. Ut ecce in traje<sup>t</sup>itia pecunia, Traje<sup>t</sup>itia pecunia appellatur fœnus nauticum, de pecunia vel sorte quæ trans mare vehenda mutuo datur, id est, trajicienda cum periculo creditoris. l. 1. 3. & 4. ff. de fœnore naut. l. 1. & 4. C eod. Quare quas libet olim stipulari potuisse creditorem scribit (a) Paulus Traje<sup>t</sup>itia pecunia propter periculum creditoris, quamdiu navigat navis infinitas usuras capere potest. Sed Imperator constituit intraje<sup>t</sup>itiis contractibus usque ad centesimam tantummodo licere stipulari, nec eam exceedere. l. 26. §. 1. C. hoc. uti & infrugum seu specierum scenariationibus d. l. 26. §. 1. Is quoque,

(a) Lib. II.  
sentent.  
cap. XIV.

## 12 DISPUTATIO JURIDICA

qui pecuniam alterius, cui administrandæ præpositus est, in suos usus convertit, majores communibus præstat usuras. l. 38. ff. de neg. gest. l. 54. ff. de adm. utu. l. 1. C. de usur. pnp. quod alii tamen antiquatum censem.

## X V.

Ut nullomodo usurae usurarum à debitoribus exigantur, veteribus quidem legibus constitutum erat, sed non perfectissime cautum; qua propter Imperator apertissima lego (l. 28. C. hoc.) definit nullo modo licere cinqam usuras prateriti temporis, vel futuri in sorte redigere, & earum iterum usuras stipulari. Sed & si hoc fuerit subsecutum, usuras quidem usuras manere, & nullum usurarum aliarum incrementum sentire: sorte autem antiquatummodo incrementum usurarum accedere. Hanc usurarum renovationem & ante Augusti tempora prohibitam

(a) Lib. 5. fuisse quidam arguunt ex (a) Cicerone. Quinimo ipse Augustus fœnus immodicum horruit: notavitque aliquos, quod epist. ult. ad Att.

(b) Cap. 39. pecunias levioribus usuris mutuari, graviore fœnore collocassent.

(b) Suetonius in ejus vita. Et improbum fœnus exercentibus & usuras usurarum illicite exigentibus infamiam irrogandam, censem Imp. Diocletianus & Maxim. l. 20. (ex Qu. Caus. inf. irrog.

## X V I.

De usuris supra duplum non computandis ita Imperator: manifestissima est nostri numinis constitutio (intellige Novellam 138.) quæ usque ad dupli quantitatem & actionem debiti concludit. Si igitur creditores tui quidam in duplum acceperunt, alii adhuc minus consecuti sunt: hi quidem qui in duplum ex usurarum quantitate per diversa tempora consecuti sunt, nullam adversus te inquietudinem proponere concedantur: alii autem si simil modo repleti fuerint, eo modo silere compelluntur. Et si debita subsecuti fuerint, fœneratitias cautiones recuperare, vel si remanserint, suis viribus vacare, si preces vere sunt, presentis oraculi sanctione decernimus.

XVII. Ita

## XVII.

Ita vidimus de usurarum quantitate, quasque percipiat creditor; contingit autem interdum ut in usuras fructus rei oppignoratae consequatur: si *avvixponis*, id est, *mutuus pignoris usus pro credito*, facta sit. De hac pactione queritur, an etiam legitimum usurarum modum observare necesse habeat? Quod plane negandum docet lex XVII. C. hoc, ubi Philippus rescripsit: *si ea lege possessionem aliquis apud creditorem suum obligavit, ut fructus in vicem usurarum consequeretur, obtentus majoris percepti emolumenti propter incertum fructum proventum placida rescindi non possunt*. Ita quidam Codices scripti habent, *proventum*, alii legunt *eventum*. Is eventus non spectat tantum fructum proventum, sed etiam pretium. Etenim cum larga est annona etiam vilius esse consuevit. Ubi parva & rara, ex eo quoque, ut cara sit, contingit. Utrobique magna est alea; & digna hujus constitutionis ratio.

## XVIII.

Uti omnes res ita usuræ suas habent metas, suosque quos non excedant terminos. Extinguitur autem usurarum obligatio vel in totum, vel pro parte. *Pro parte*, quando creditor, qui majores erat stipulatus, certis annis minores accepit, intelligitur majoribus renunciasse, & adversus enim postea majores petentem utilis est pacti exceptio. l. 5. C. hoc. earum enim remissio facilius admittitur, quam obligationis inductio: quippe si aliquando ex consensu præstitæ sint, obligationem minime constituunt l. 7. C. eod. Nec minus usuræ pro parte extinguuntur, si earum remissio expresso nitatur creditoris consensu: cum quisque favori pro se introducto, vel in totum, possit renunciare. l. pen. C. de pactis.

## 24 DISPUTATIO JURIDICA

## XIX.

In totum usurarum obligatio perimitur soluta sorte , arg. l. 41. §. 1. ff. hoc. quippe principali actione non subsistente , satis supervacaneum est super usuris , vel fructibus judicem cognoscere. l. 26. in pr. C. hoc. quo facit l. 49. §. 1. ff. de act. empt. uti & Regula , accessorium sequitur suum principale. Etiam compensatione ; de qua sic loquitur JCTus Ulpianus in l. 11. ff. de compens. cum alter alteri pecuniam sine usuris , alter usurariam debet , constitutum est a Divo Severo . concurrentis apud utrumque quantitatis usuras non esse praestandas. Facit l. 12. ff. eod. Item per oblationem debiti , & consignationem impeditur cursus usurarum. Ad cuius pleniorum intellectum DD. notant duplicem esse oblationem : aliam verbalem , qua quis verbo se paratum indicat debitum solvere : aliam realem , qua quis pecuniam realiter offert , & de praesenti , eamque non acceptam , consignatam deponit.

## XX.

Obiter descutienda illa quæstio : an sola oblatio quæ verbis fit usurarum cursum sistat ? (a) Molinæus negat depositiōnem requiri movetur lege 122. §. 5. ff. de verb. obl. si seia non cessasset ex stipulatione pecuniam offerre , jure usuras non debere. Quo nomine reprehenditur a Cujacio ad d. §. 5. contrarium loci juris apertissimi docent ; Papinianus JCTus in l. 1. §. 3. insin. ff. hoc. Plane , si tutela judicio nolentem experiri , tutor ultra convenerit , & pecuniam obtulerit , eamque obsignatam deposituerit , ex eo tempore non prestabit usuras. Idem in l. 7. ff. eod. debitor usurarius creditori pecuniam obtulit , & eam , cum accipere non possisset , obsignavit , ac deposituit : ex eo die ratio non habebitur usurarum. & Marcellus in l. 28. §. 1. ff. de adm. & per tut. tutor qui post pubertatem pupilli negotiorum ejus administratione abstinuit , usuras prestare non debet , ex quo obtulit pecuniam : quin etiam justius mihi videtur , cum , per quem non stetit quo mi-

(a) nu. 296.  
297. de  
usur.

*nus conventus restitueret tutelam, ad prestationem usurarum non compelli : (Ulpianus notat, non sufficit obtulisse, nisi & depositum ob-signatum tuto in loco.) Id quoque Imp. Dioclet. & Maximini rescribunt: ob-signatione totius debitæ pecuniae solenniter facta, liberationem contingere manifestum est, in l. 9. C. de solut. Vid. l. 10. C. de Pign. Att. l. 18. insin. ff. hoc. & l. 2. & 6. C. hoc.*

## XXI.

Porro Justinianus in sua l. 26. C. h. t. usurarum debitum tolli ait extincta, & sublata, per præscriptioenm temporis longissimi, triginta vel quadraginta annorum, obligatione principali. Item actione principali per sententiam judicis exticta, non potes propter usuras experiri. l. 4. C. depositi. Si in totum quoque remissæ sint, in totum extinguuntur, arg. l. 100. ff. de R. f. l. 153. ff. eod. Denique si in duplum computatæ sint; ultra duplum exigi enim non possunt. Nov. 121. C. 2.

## COROLLARIA.

## I.

*IN præscriptione servitutum non semper opus esse justo titulo, recte statuitur.*

Pa-

III.

Pater filio exheredato pupillariter substituere potest.

III.

Ad debitorem constituendum in mora unica sufficit interpellatio.

IV.

Illud quod natura debetur venit in compensationem.

V.

Exheredatio non tollit jus suitatis, sive sui heredis.

